

me **V**ingre

*[Faint handwritten text]*

me **O**mne.

*[Faint handwritten text]*  
nus in **I**tem

*[Faint handwritten text]*

le o

*[Faint handwritten text]*  
an us dicens

in illu.

2  
D. 168.



10. 9.

Chrysostomus sup 29 Matth: elegans ex:  
comium. dat mala mulieris inquirens: puid.  
aliud est mala mulier, nisi pietatis et amici:  
tia inimica. Ineffugabilis poena, necessarium  
malu, naturalis identatio, desiderabilis ca:  
lamitas, domesticu piculum, delectabile de:  
tumentum, mali natura boni colore depic:  
picta?

10. 9.

EX BIBLIOTH.

NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

I 8 168,

SIGNAT. c1515CCCXIII.



B R E V E S  
QVÆDAM PRECA-  
TIVNCVLAE, IN VSVM PIAE  
PVERITIÆ CONSCRIPTÆ,  
ET DISTRIBUTÆ IUXTA  
SERIEM PETITIONVM  
ORATIONIS DO-  
MINICAE.

Per

M. GEORGIVM HEL-  
mericum, illustris Scholæ GOLD-  
BERGENSIS collegam in an-  
num usq<sub>3</sub> XXVI.



1 5 7 7.







# FORMVLÆ GRATIARVM ACTIONIS.

## Disticha Heroica.

I.

Non quas debebam, sed quas tibi dicere possim,  
Inclyte dico, DEVS, quous pro munere grates.

II.

Ore fero tua, sancte parens, pia munera grato,  
Me quibus indignum cumulas, ob vulnera Gnati.

III. Ex Psal. 51.

In laudes, bone Christe, tuas tunc totus abibo,  
Os linguamq; meam tua cum mihi gratia soluet.

## ELEGIACA.

I.

Corporis ac animi quoniam nos dotibus ornas,  
Sit pro muneribus laus tibi, CHRISTE, tuis.

II.

Ex verbis Iacob Patriarchæ, Genes. 32.  
His ego me donis fateor, DEVS, esse minorem,  
Quæ mihi largiris: prædico cuncta tamen.

III.

Ex Threnis Hieremiæ, cap. 3. Misericordiæ Domini, &c.

Quod non consumti sumus, in nihilumq; redacti,  
Acceptum ferimus, CHRISTE benigne, tibi.

IIII.

Iure tibi grates agimus, sine munere nobis,  
CHRISTE, tuo vacuum non finis ire diem.

A 2

Ex



## V.

Ex primo versu Psal. 34.  
*Affiduè gratus Domini praeconia dicam:  
 Laus illius erit semper in ore meo.*

## VI. Ex Psal. 51.

*Os aperi, linguamq; sacro mihi Flamine solue,  
 Vt celebret laudes, CHRISTE benigne, tuas.*

## Tetrastichon Hexametrum.

*Laudibus hora tuis non vlla vacabit, IESU,  
 Solus es eterna nobis quia causa salutis:  
 Muneribus cumulas varijs nos in super idem,  
 Quotidie in vita rerum quibus indiget vsus.*

## Elegiacum.

*Quæ tua dextra mihi concessit tempore vitæ,  
 Hæc accepta fero munera cuncta tibi.  
 Quod si forte minus dignas tibi concino grates,  
 Propositum mentis, CHRISTE, probato meæ.*

## Precatio matutina.

*Quod me nocte tuis texisti, CHRISTE, sub alis,  
 Hoc munus grato pectore iure cano.  
 Da quoq; curriculum felix sit vt omne diurnum:  
 Protegat Angelicus me, mea cuncta, chorus.*

## Vespertina.

*Per spacium, cum me defenderis ipse diurnum,  
 Gratia pro quo sit munere summa tibi:  
 Hac mihi nocte precor placidam largire quietem,  
 Meq; per Angelicum, CHRISTE, tuere chorum.*

PRO FELICIAVSPICI  
 CIO NOVI ANNI.

Decur -



I.

Decurrit fatis prior vt mediocribus annus:  
Sic anno faueat tua gratia, CHRISTE, sequenti.

II.

En iterum duce te, DEVS, hunc exegimus annum:  
Auspicijs ineat facias felicibus alter.

III.

CHRISTE, tuo ductu veterem superauimus annu:  
Fac nouus hic nobis sit fortunatus vt annus.

### Disticha Elegiaca.

I.

CHRISTE, fac exactus veteris iam mensibus anni,  
Sit bonus hic nobis qui nouus annus init.

II.

Ad metam accessit vetus en feliciter annus:  
Sit nouus hic faustus fac, pie CHRISTE, tuis.

III.

Anni curriculo, DEVS, aspirato sequentis:  
Venit enim ad finem te tribuente prior.

### Prolixiores Heroicæ.

Auspicium mihi sit felix ineuntis vt anni:  
Progressus melior, sit & exitus optimus eius:  
Ob Gnatum efficiat tua, mi DEVS inclyte, charum  
Gratia larga, fauor patrius, benedictio clemens.

II.

Per veteris cursum cum nos protexeris anni,  
Supplice quod munus celebramus pectore, Christe:  
Tempore nos anni quoq, ritè tuere sequentis:  
Aerumnas minuas elapsi quaslibet anni,

A 3

Eiusdem



4  
Eiusdem foueas quoq<sub>3</sub> commoda cuncta benigne,  
Hac etiam noster nobis vt frater adauge.

III.

Præterito cùm nos clementer texeris anno,  
Laude quod æterna nos tollere conuenit omnes:  
Protege nos anno quoq<sub>3</sub>, Christe benigne, sequenti:  
Prouideas anima, nostrog<sub>3</sub> in corpore membris.  
Cuncta pericla leues, quæ nos pressere prioris  
Anni curriculo, bona pristina semper adauge.  
Nos inter retine constanter lumina verbi:  
Conserues pacem: sæcundes vndiq<sub>3</sub> terram:  
Aëra des mundum: tempestatesq<sub>3</sub> benignas.  
Te duce, qua prosint plantis, pecudiq<sub>3</sub>, hominiq<sub>3</sub>:  
Tecta tegas patriæ, flammæ arceto: labores  
Esse velis faustos, quas functio nostra requirit.  
Sit tua perpetuò nobis benedictio præsto.  
Flamine nos Sancto quoq<sub>3</sub> semper ubiq<sub>3</sub> gubernæ.  
Inq<sub>3</sub> vijs nostris nobis tuus Angelus adsit:  
Dissipet insidias Satana, mala quæq<sub>3</sub> repellat.  
Da placidè tandem vita cedamus ab ista,  
Fine fac vt fidei post fata, salute, fruamur.

ELEGIAE.

Præterijt quoniam nobis feliciter annus,  
Quod celebrat populus, CHRISTE benigne, tuus:  
Oramus facias nouus hic sit propper vt annus:  
Discipulis nobis da bona quæq<sub>3</sub> tuis.  
Errores arceto procul, moresq<sub>3</sub> profanos:  
Mars, cum peste, fames, non loca nostra premat.  
Nos tuus & nostros tegat Angelus omnibus horis,  
Vt nulla possit parte nocere Satan.

Exitus



Exitus hinc placidus nobis contingat 7 E S V :  
Nosq; cohæredes fac super axe tuos.

II.

Elapsus vetus est decursis mensibus annus,  
Signaq; confecit iam duodena Titan,  
Denuo seq; nouo pandit iam cardine Ianus,  
Felici auspicio nunc nouus annus init.  
Fortunato dies per menses quoslibet anni:  
Turbet eos nubes, te duce, nulla, D E V S,  
Publica de nobis, priuataq; damna repelle,  
Irradia verbo pectora nostra tuo.  
In stabili institui possit da pace iuuentus:  
Da victum: famulis tecta tuere tuis.  
Concedas auram nobis, D E V S alme, salubrem,  
Nec vastent cætus toxica dira pios.  
Nos placidè hinc aufer, feret vt tua sancta voluntas,  
Nos his è lacrymis in tua regna vehens,  
Communi vt patria tecum super axe fruamur,  
Cantantes laudes cum pietate tuas.

PRECATI VNCVLAE  
PRO SVCCESV IN  
STVDIIS.

Disticha Heroica.

I.

Christe meis studijs clementer adesto supremus:  
Promotor, variaq; colam da fruge Camœnas.

II.

Gymnasio veteri quotquot versamur in isto,  
Flamine, Christe, sacro nos effice vasa salutis.

A 4.

Omnia



III.

*Omnia de pietate fluunt, vt fonte perenni:  
Sit dux ergo mei pietas fac, CHRISTE, laboris.*

IIII.

*Ne mea sedulitas, ne sit contentio inanis,  
Hanc tua dextra precor successibus ornet, JESU.*

ELEGIACA.

I.

*Te sine felices nostros non esse labores,  
CHRISTE, scio: studijs ergo faueto meis.*

II.

*Actum aget omnis homo sine te, lateremq, lauabit:  
Prouehere conatus, CHRISTE, proinde meos.*

III.

*Nil sumus absq, tuo clementi numine, CHRISTE:  
Votis ac studijs annue quaeso meis.*

IIII.

*Ex historia piscationis Petri.*

*Ad nutum, pie CHRISTE, tuum mea retia iacto,  
Tu iactum hunc faustum fac rogo, Christe, meum.*

V.

*Discenti ingenium, membris quoq, suffice vires:  
In studijs praesto sis mihi, CHRISTE, meis.*

VI.

*CHRISTE, manus adhibeto operi, nostrog, labori,  
Instrue successu cuncta gerenda bono.*

VII.

*CHRISTE, meis benedic studijs & rebus agendis:  
Absq, tuo mea sunt Numine coepta nihil.*

VIII.

*Ingenium*



Ingenium ingenuis conor decorare Camœnis:  
Non operam ludam fac, bone CHRISTE, meam.

IX.

CHRISTE, tuo studijs des incrementa fauore  
Oro meis: laudi hæc sic tibi semper erunt.

X.

Esto meis studijs summus nauclerus, ꝑ ESU:  
Da, quod ago, in laudes crescat vt omne tuas.

XI.

Vim mihi scribendi dederis si carmen, ꝑ ESU:  
Materies versustu mihi solus eris.

## PRECATIVNCVLAE PROLIXIORES.

I.

Principium sine te sordet, DEVS inclyte, quoduis:  
Te sine res finem sortitur nulla secundum.  
Ergo meis adsit tua gratia quæso Camœnis:  
Frugiferiq; mei fac sint, te dante, labores.

II.

In studijs laterem ne forte lauemus, ꝑ ESU,  
Nil profecturis & littora bobus aremus,  
Huc ades, optatus & nos successibus orna.  
Absq; tuo nihil esse homines, nil posse, fatemur  
Numine. Nostra canet rursus te carmine Musa:  
Nullum laude tua tempusq; carebit in æuum.

III.

Immanuel, tellus cui paret & ather, ꝑ ESU,  
Urgeo dum sacras studioso pectore Musas,  
Tu mihi, discenti linguas, tua dogmata & artes,  
Conanti & decorare bonas virtute Camœnas,

A 5

Adsis,



Adsis, da ceptum possim pertexere pensum.  
Curriculo optatamq<sub>3</sub> meo concedito metam.  
Non oleum ac operam perdam, & sine fruge laborem.  
Sic te, CHRISTE, canam reliquos ætatis in annos.

IIII.

Esto gubernator, rector, nauclerus, 7 ESV,  
Curriculi, ingressus quod sum feliciter, huius:  
Sic fortunatum noui fore quemq<sub>3</sub> laborem,  
Atq<sub>3</sub> meus conatus erit non irritus vllus.  
Seruiet inde tua laudi mea, CHRISTE, Camæna.  
Materies eris ipse mei tu carminis vnus,  
Vel cuiusq<sub>3</sub> styli, vel cuiuscunq<sub>3</sub> laboris,  
Ingenij quem suscipiam pro viribus vnquam.

PRECATIONES ELE  
GIACIS VERSIBVS  
SCRIPTAE.

I.

Nil sunt conatus, tua quos non dextra gubernat.  
Presideas studijs ergo age, CHRISTE, meis,  
Fac optata meos foueat fortuna labores,  
Non abeant opera da sine fruge mea.  
Prospera quando meam cymbam prouexerit aura,  
Dulee tibi parget nostra Camæna melos.

II.

Aspirato meis studijs, ac annue votis  
In statione mea, CHRISTE benigne, meis.  
A me discedet tua si benedictio prorsus,  
Absq<sub>3</sub> omni fructu sudo, laboro miser.  
Sed te nauclero, mihi protinus aura secunda  
Afflabit, portus sic loca tuta petam:

Seto-



9  
Setotumq<sub>3</sub> tibi mea deinde Thalia dicabit,  
Dirigat in laudes vt sua cuncta tuas.

III.

Fons cuiusq<sub>3</sub> boni de te promanat, 7 ESV,  
Auxilio, Immanuel, nil sumus absq<sub>3</sub> tuo.  
In studijs mihi successus largire benignos:  
Corporis ac animæ da bona quæq<sub>3</sub> mihi.  
Seruiat vsq<sub>3</sub> tuæ laudi mea vita: supernas  
In sedes tandem me tua dextra vehat.

IIII.

Vt benè procedat mea tota vocatio, CHRISTE,  
Cum multa iunctus sit quoq<sub>3</sub> fruge labor:  
In Patris ætherei tendat conatus honorem  
Quisq<sub>3</sub> meus, prosit pluribus, atq<sub>3</sub> mihi:  
Tu faueas illi, tu præsideasq<sub>3</sub> benignè,  
Tu faciles operas fac, pie CHRISTE, meas.  
Euentus tribuas conatibus oro secundos,  
Me frustra excrucio, te retrahente manum.  
Compos vbi fuero voti sic redditus huius,  
Laudibus extollet te mea Musa suis.

PRO CONSERVATIONE  
SCHOLAE GOLDBER-  
GENSIS.

Disticha Heroica.

I.

Musarum pereat sedes ne funditus ista.  
Prouideas: rege discentes, rege, Christe, docentes.

II.

Ab



IO  
Ab Deus, huic succurre Scholæ, labem illa minatur :  
Hanc sed ab interitu tua dextera vindicet alma.

### Elegiaca.

I.

Hunc ludum multos seruasti, CHRISTE, per annos :  
In laudem hunc posthac assere quaeso tuam.

II.

Christe meæ patriæ serues templumq<sub>3</sub> scholamq<sub>3</sub> :  
Vastari cœtus non patiare pios.

III.

Nostra tuo vigeat Myrmecia CHRISTE favore :  
Iugiter & laudi seruiat illa tuæ.

IIII.

Christe, Lyceæ scholæ conserues integra nostræ :  
Asserat in laudes hanc tua dextra tuas.

V.

Alueolos nostros, & apes tue aris in illis,  
Vt mel dulce tibi, te duce, CHRISTE, legant.

VI.

Perpetuè, pie Christe, Scholam rogo protege nostram :  
Nec labor in Domino noster inanis eat.

### Tetrastichon.

Est quoniam verè tibi vita scholastica cura,  
Hunc manibus cœtum, CHRISTE, tuere tuis  
Discentumq<sub>3</sub> iuua conatus atq<sub>3</sub> docentum,  
Amborum vt fiant grata labore tibi.

### PRO CONSERVATIONE

### SINCERIORIS RELIGIO-

nis ac doctrinæ, tam in templis, quàm  
in Scholis.

Christe



I.

Christe mi visterij fons vnus & vnicus autor,  
Integra conserues nobis sacra munera verbi.

II.

Conserua, D E V S alme, tuis pia templa scholasq;  
Defer & in nostros pure tua verba nepotes.

III.

Donasti nobis doctrine lumen, ꝑ E S V:  
Hoc retinere diu nostris digneris in oris.

IIII.

A nobis ne cede, D E V S, dum vespera nostris  
Ingruit his oris, nobiscum queso maneto.

V.

Sub seræ nobis tenebrosa crepuscula noctis  
Adsis constanter: nos desere nullus, ꝑ E S V.

VI.

Oscula grata, D E V S, Gnato da figere possim:  
Huic me subijciam, per eum potiarq; salute.

VII.

Da vero verbi flagrem constanter amore,  
Inde petamq; fidem, qua ducar in æthera, Christe.

E L E G I A C A.

I.

Hac nostri maneant in relligione nepotes,  
Reddita quæ nobis fulget in orbe, D E V S.

II.

In vera agnitione tui nos, C H R I S T E, tuere:  
Sanctifica verbo pectora nostra tuo.

III.

Errorum tenebras nostra de mente repellas:  
Conserua in verbo nos, pie C H R I S T E, tuo.  
Ne ferat



## IIII.

Ne ferar huc illuc doctrine turbine quouis,  
Fac verbi ductum, CHRISTE benigne, sequas.

## V.

Arrepat quoniam paulatim meta diei:  
Nobiscum Phœbo, CHRISTE, cadente mane.

## VI.

Ad nostras properat pedetentim vespera terras:  
CHRISTE, gregi socius fidus adesto tuo.

## VII.

Cum Satan hereseon nos inter suscitatur ignes,  
Nos retine in verbi lumine, CHRISTE, tui.

## VIII.

Omnibus in templis nostris hinc inde Scholisq;  
Qui doceant rectè, da, bone CHRISTE, viros.

## IX.

Sim gregis oro tui membrum constanter, IESU:  
Fac moueant pectus scandala nulla meum.

PRO SALVTARI ET  
FRVGIFERA VERBI  
diuini auditione.

## I.

Ex Psal. 25. Simplex & rectum tueantur  
me: quia expecto te.

Schlecht vnd recht das behüte mich/  
Denn ich harre dein.

CHRISTE tui verbi me certa gubernet amussis:  
Te quoniam expectans verbo ceu lumine nitor.

## II.

Obrepans



Obrepant ne forte mea fastidia menti,  
CHRISTE, tui verbi, me Flamine dirige sancto.

## III.

Ex parabola Lucae 8.

Christe, bonum semen, quod sacra per organa spargis,  
In me cum magna crescere fruge sinas.

## IIII. Ex eadem.

Da bona sim tellus, foueat quae semina verbi,  
Proferat & fructum, te duce, CHRISTE, bonum.

## V.

Ex parabola Matth. 13.

Infelix lolium passim se frugibus addit:

Da sim fructificans sed, rogo, planta, DEVS.

## VI.

Ex Psal. 119. octonario 6. Ne auferas ab  
ore meo verbum veritatis vnquam:

Quia in iudicijs tuis speraui.

Ne, DEVS, ore meo caelestia dogmata tollas:

In tua spem quoniam verba repono meam.

## VII.

Ex eiusdem Psal. octonario 14. Lucer-  
na pedibus meis, &c.

CHRISTE, fac accipiam puro tua dogmata corde:

Hae fidei & vitae sint mihi norma mea.

## VIII.

Vt sacra cum magno cognoscam dogmata fructu:

Illustres radijs me, pie CHRISTE, tuis.

## IX.

Me fidei priuare cupit dum lumine Demon,

Firmiter hanc lucem, CHRISTE, tuere mihi.

Lucae



X.

Lucæ 22. Ego pro te oravi, &c.  
CHRISTE, preces adhibe pro me pia vota q, Patrio  
Ne mea deficiat tempus in omne fides.

XI.

Irridet mundi pars maxima verba salutis:  
Hoc ego ne faciam me, pie CHRISTE, iuua.

XII.

Ne te contemnam, ne vel tua dogmata spernam,  
Non itidem ritus fac, pie CHRISTE, sacros.

XIII.

Humani generis qui lumen es vnus, IESU:  
Illustra mentem per tua verba meam.

XIIII.

Res odiosa tibi quia diffidentia, CHRISTE, est:  
Da possim verbis fidere ritè tuis.

PRO ECCLESIAE DEI,  
ET MEMBRORVM EIVS  
DEFENSIONE.

Disticha Heroica.

I.

Vt rosa de rigidis prodit suauissima spinis:  
Inter & ærumnas sic, CHRISTE, Ecclesia crescat.

II.

Oppressura tuam cymbam mala dura videntur,  
CHRISTE, ser auxiliū, motas compesce procellas.

III.

Christe, tuum proprio partum tibi sanguine coetum,  
Dirorum in medio seruet tua dextra luporum.

Eleo



Elegiaca.

I.

Pluribus exagitata malis Ecclesia plorat :  
Subuenias gregibus, CHRISTE benigne, tuis.

II.

Sit pia, CHRISTE, tuis Ecclesia tuta sub alis :  
Illius & membrum me sine fine tegas.

III.

A nobis noli discedere, pastor IESU,  
Aut oues erimus prada cruenta lupis.

IIII.

Cultores defende tuos constanter, IESU :  
Deleri q̄, tuum ne patiāre gregem.

PRO DONATIONE SPIRITUS  
sancti, vt scilicet per eum illustre-  
mur ac regamur.

Disticha Heroica.

I.

Ne Satanas in me regnet, nec crimina mundi,  
Ah in corde meo, Numen spirabile, regnes.

II.

In me, Sancte, fidem succendas, Spiritus, oro :  
Sit dux illa mihi postrema mortis in hora.

III.

Sancte, mihi motus tales donato benignè,  
Spiritus, es qualis, Patri, Gnatoq̄, placentes.

IIII.

Numine, sancte, tuo semper mihi, Spiritus, adsis :  
In fidei vera vero me tramite serues.

V.

B

A Patre





16

A patre cœlesti & Gnato qui, Spiritus, exis,  
Accendas mentes & pectora nostra gubernes.

VI.

Indue nos virtute tua, bone Spiritus, alma,  
Intrepide vt meritum sic confiteamur, 7 E S V.

### Elegiaca.

I.

Christe, meam accendas Sancto spiramine mentem,  
Vt feriant stimulis me tua dicta suis.

II.

Vt mea perfundas cœlesti pectora luce,  
Sedibus æthereis, Spiritus alme, vent.

III.

CHRISTE, tuo Patrisq, tui me dirige Flatu,  
Vt flagrem verbi semper amore tui.

IIII.

In me quam telam cœpisti texere, quaeso  
Hanc pertexe tuo Flammine, CHRISTE, sacro.

V.

Qui verax, testis, paracletus es vnicus orbis,  
Spiritus, afflatu nos rege, Sancte, tuo.

VI.

O sacra Flamma, fidē mihi des per dogmata Christi,  
Abs te, vera fides, non aliunde venit.

VII.

Os aperi mihi, Christe, meum rogo Flammine sancto  
Decantet laudes vt mea lingua tuas.

VIII.

Ob mala ne forsan desperem plurima, Sancte  
Spiritus, esto meus duxq, caputq, meum.

Ex Græc



## Ex Græco Disticho.

πνεῦμα θεῶ ἁγίου, πρῶτα κλησῖς, ἀλήθεια, ἐλπίς,  
 ἡμῶν σὺ χάριτος σῖδεα μεσὰ ποίει.  
 Sancte DEI flatus, spes, lux, solamen adesto:  
 Muneribusq; reple pectora nostra tuis.

## PRO GOVERNATIONE DIVINA,

& pro pio vitæ cursu, qui scilicet ad normam  
 verbi diuini congruat, & tam nobis,  
 quàm alijs, fit salutaris.

## Disticha Heroica.

I.

Sis dux, sisq; comes rerum, bone Christe, mearum,  
 Ut mea vita fide tibi pralucente probetur.

II.

Donasti me, CHRISTE, fide per dogmata verbi,  
 Hac ope, CHRISTE, tua se fructibus exerat amplis.

III.

Ut tibi da viuam, da viuam, CHRISTE, mihiq;  
 Grata tibi faciens, animæ expediensq; salutem.

IIII.

Quæ tua verba iubent, sequar hæc, Deus optime, tan-  
 Fac cupidè fugiam, quæ sunt contraria verbo.

V.

Militiæ fac, CHRISTE, tuæ nos viuuda membra:  
 Non sine nos vetito aut nimio indulgere sopori.

VI.

Da DEV S exemplis & honestis moribus ornem  
 Officij proprij munus, ne scandala spargam.

VII.

B 2

A me



A me, CHRISTE, precor minimè tua dextra recedat:  
Me tegat alarum sed firmiter umbra tuarum.

## VIII.

Da mihi titillent non hæ præcordia cura,  
Abducant quæ me de donis, CHRISTE, supernis.

## IX.

Ne tentem, pie CHRISTE, tuo contraria verbo,  
Me tuus oro sacer Flatus sine fine gubernet.

## X.

Da verbi ductum sequar, optime CHRISTE, fidelis  
Pectore, non faciam quod fert priuata libido.

## XI.

Fac angusta mihi via non sit, CHRISTE, molesta:  
Sed per eam cupidè pergens traducar in astra.

## XII.

Curriculū tibi, CHRISTE, meæ quia dedico vitæ,  
Ah precor optatis illud successibus orna.

## XIII.

Ex dicto Thobia 3. Non delectaris,  
DEVS, perditioni nostri.  
Nullius interitu quia delectaris, 7 ESV:  
Sic rege me viuum, tecum vt post funera viuam.

## Elegiaca.

## I.

Fac tibi grata, DEVS, pariter faciamus vt omnes,  
Grata tibi Angelicus ceu facit ipse chorus.

## II.

Da tua verba fide teneam constanter, 7 ESV:  
Consona doctrina sit mea vita tua.

## III.

Audimus



19

*Audimus verbum, vires age suffice, CHRISTE,  
Vt verbo mores conuenienter eant.*

IIII.

*Sic rege nos, eterne DEVS, quò nostra voluntas  
Congruat ad verbi dogma salubre tui.*

V.

*CHRISTE meum quouis ita dirige tempore cursum,  
Conueniat norma totus vt ille tuæ.*

VI.

*Dum tuus esse volo miles generosus, IESV:  
Ab me conantem tale iuuato libens.*

VII.

*Iohan. 15. Sine me nihil potestis facere.  
Absq; tuo præstare boni nil Numine possum,  
Assiduè præsto sis age, CHRISTE, mihi.*

VIII.

*Esto meæ fidei, vitæ quoq; regula verbum,  
CHRISTE, tuum, nec me deuius error agat.*

IX.

*Fac mihi non libeat, quod non licet, optime Christe  
Et tua sint vitæ regula verba mea.*

X.

*Non tantum multis iactem tua dogmata verbis:  
Da peragam verbo congrua, CHRISTE, tuo.*

XI.

*Ne labijs te fortè colam, sed pectore toto:  
Fac me queso tuo, CHRISTE, fauore iuua.*

XII.

*CHRISTE, fac vt sanctè verbi vestigia sedet:  
Nec quicquam aduersi coner obire tibi.*

B 3

Hæc



## XIII.

Hac ne fortè probem, quæ sint contraria verbo,  
Me verbo & sancto Flamine, CHRISTE, rega.

## XIIII.

Praclarum fidei certem fac semper agonem,  
Finis vt hinc fidei sit mihi certa salus.

## XV.

Iusticia da, CHRISTE, flagrem constanter amore,  
Integritas morum me iuuet vsq; pia.

## XVI.

Abs te diuelli ne me patiaris, IESU:  
Te vera facias vt pietate colam.

## XVII.

Fac ignaua mihi placeat ne vita, labores  
Sed proprios peragam, te duce, CHRISTE, meos.

## XVIII.

In statione mea da sim, DEVS, vsq; fidelis:  
Nequaquam cura sint aliena mihi.

## XIX.

In me pertexas coeptam, DEVS optime, telam:  
Vt fidei finis sit mihi deinde mea.

## XX. Matth. 25.

Quod mihi concessit clemens tua dextra talentum,  
Fac id ad vsuram, te duce, CHRISTE, locem.

## XXI.

Curriculum instituam sic fac, DEVS optime, vitæ,  
Obtineam vt superas post mea fata domus.

## XXII.

Sic me, CHRISTE, velis traducere tempora vitæ,  
Vt tecum æternùm viuere deinde queam.

Imperio



*Imperio carnis da ritè resistere possim,  
Vt quæ grata tibi sunt, ego, CHRISTE, geram.*

## XXIIII.

*Fac mea membra, DEVS, studeam pietate domare:  
Obsistam illecebris, te duce, semper Ade.*

## EX PRECATIVNCVLA

PHILIPPI MELANTH.

τῶν βασιλῶν ἀγαθῶν, καὶ ἀφορμῶν, εὐτυχίᾳ τε  
συμβέβητα ἐμοὶ δὸς πατρὸς ἀιδίᾳ.

## DISTICHA.

## I.

*Consilium sapiens, occasio commoda, felix  
Exitus, hæc dono sint mihi, CHRISTE, tuo.*

## II.

*Per te consilium, per teq, occasio detur,  
Per te successus sit mihi, CHRISTE, bonus.*

## III.

*Vt tibi grata geram, multis quod & utile, CHRISTE,  
Adsis auxilio consilioq, mihi.*

## HEXASTICHON.

*Consilij dux es, tibi summa potentia, Christe, est:*

*Quicquid vis fieri procedat oportet vt illud,*

*Instrue consilio me cœlitus ergo fideli:*

*Te duce consultis, successus adijce, rebus.*

*Non ita iudicij fallat me deuius error,*

*Nec vires aberunt, mihi nil fortuna negabit.*

## FORMVLÆ PRECVM, QVIBVS

*oramus, vt Deus nos efficiat σκεύη ἐλέους, hoc est,*

*vasa misericordiæ, καὶ ὄργανα σωτηρίας, hoc*

*est, instrumenta salutis. Rom. 9.*



I.

Da, D E V S, vt possim precor organon esse salutis :  
Vt prosim multis, & tibi grata geram.

II.

Numine, CHRISTE, sacro nostros ita dirige gressus,  
Simus vt in regno vasa benigna tuo.

III.

Nullius est sine te felix labor : ergo precamur  
Organa nos regni fac sacra, CHRISTE, tui.

IIII.

In vero retine me, CHRISTE, benigne timore :  
A me discedat vita profana procul.

V.

Arbor sim fecunda tuo, D E V S optime, dono :  
Arbor ne sterilis flammis detrudar in Orci.

PRO SALVTARI PACE ET  
tranquillitate publica.

I.

In patrijs laribus rerum pax optima duret,  
Per te relligio nobis sit & integra, CHRISTE.

II. Zachariae 2.

Nos circum turre, nos murus & igneus esto :  
Sit te dante, D E V S, nostris pax firma diebus.

III.

Concedas studijs pacem, bone CHRISTE, colendis,  
Vt magis atq; magis tua gloria crescere possit,

IIII.

Quam dare nemo potest nobis, D E V S inclyte, pacem  
Largiri dignere : premat tua dextera bellum.

V.

In nostra regione, D E V S, rogo tempore nostro  
Ob Gnatum seruato tuis sacra commoda pacis.

Tempo-



## VI.

Temporibus nostris stabilem seruabis, 7 E S V,  
Tu nisi iam pacem, bello vastabimur omnes.

## VII.

Vim, D E V S, hostilem reprimens hanc finibus arce  
Nostris. De nobis sine te quia funditus actum est.

## VIII.

Predictas auerte, D E V S, per signa procellas:  
Et pacem nobis, & verbi lumina serues.

## IX.

Conturbare tuis qui commoda pacis, 7 E S V,  
Conantur, tua dextra potens conturbet eosdem.

## Disticha Elegiaca.

## I.

C H R I S T E, precor nostris pacem largire diebus:  
Nî dederis, possit qui dare, nullus erit.

## II.

Hostiles arce à nobis, pie C H R I S T E, tyrannos:  
Et cum pace tuis dogmata sana foue.

## III.

C H R I S T E, salutarem nobis concedito pacem:  
Hanc nisi tu dederis, non dabit vllus homo.

## IIII.

Protege, C H R I S T E, tuos, nostris impone lupatum  
Hostibus, vt norint te caput esse pijs.

## V.

Quoslibet aduersus nostram defende Sareptam  
Hostes: nos telis assere, C H R I S T E, tuis.

## VI.

C H R I S T E, tuere tuis constantis tempora pacis,  
Quam dare te præter nullus in orbe potest.

## VII.

B 5

Egeris



Egeris excubias nisi tu pro pace salubri,  
Vastabit bello Mars loca nostra, DEVS.

## VIII.

Ah miserere tui populi clementer, *7* ESV,  
A nostris arce bella luemq<sub>3</sub> locis.

## IX.

Qui turbatores late sunt pacis, *7* ESV:  
Disperdat telis hos tua dextra suis.

Da pacem Domine, &c.

## I.

Conserua nostris pacem, DEVS alme, diebus:  
Te prater nemo pro nobis pugnat in hostes.

## II.

Tempore da nostro nobis, DEVS optime, pacem:  
Pro nostra solus bella salute geris.

## PRO MAGISTRATV, EX

verbis Pauli, i. Timoth. 2.

Sub nostro tribuas tranquilla tempora pacis,  
CHRISTE, Magistratu nobis, stabilemq<sub>3</sub> quietem.

Fac in pace etiam vitam viuamus honestam,

Quae sunt grata tibi vera pietate geramus.

Hac ratione tuum semper foueamus amorem,

Ob meritumq<sub>3</sub> tuum post pace fruamur Olympi.

## II.

Quosq<sub>3</sub> Magistratus horum rege, Christe, locorum,

Vt per eos tuti nostris prestemur in oris,

Quoslibet aduersus hostes, cum pace fruentes

Muneribus varijs, quae dat tua dextra per illos.

Ex Psal. 61.

CHRISTE, Magistratum nostrum defende fidelem,

Principibusq<sub>3</sub> dies adijce quæso pijs.

Fac



Pac ut te timeant, per te da ritè gubernent,  
 Ut sit honos templis, artibus atq; scholis,  
 Ut vigeant leges, mores ormentur honesti:  
 Sit vicij's etiam pœna parata grauis.

Esaiæ 9. Actor. 3.

Aeternæ es pacis qui conciliator, 7 E SV,  
 Te vocat & pacis pagina sacra ducem:  
 Clementi blandoq; tuos age respice vultu,  
 In terris pacem daq; iuuag; tuos.  
 Limitibus patriæ furibundos pelle Tyrannos:  
 A nobis arce bella nefanda procul.  
 Nos tandem aeterna dones post funera pace,  
 Et regni socios effice, CHRISTE, tui.

**TETRASTICHON.**

CHRISTE, graues placida cõmutes pace tumultus:  
 Per te fac vigeant oppida, templa, schola.  
 Hospitium populoq; tuo concede quietum,  
 Pacis ut autorem te pia turba canat.

**Pro incolumitate corporis.**

**I.**

Es quia dux vitæ, vitam mihi, CHRISTE, tuere:  
 Lethiferos à me morbos arceto benignè.

**II.**

Quam tua, CHRISTE, diu fert hoc diuina voluntas,  
 In toto firmis da corpore viribus vt ar.

**III. Ex Psal. 118.**

Viuam, non moriar, tua verba & facta canimq;  
 Per me redderis, DEVS, & sic notior orbi.

**Disticha Elegiaca.**

**I.**

Da,



*Da, DEVS, in sano sanam quoq<sub>3</sub> corpore mentem:  
Sitq<sub>3</sub> tua nobis victus, amictus, ope.*

## II.

*Corporis ac animi me viribus instrue, CHRISTE,  
Seruiat vt laudi fac mea vita tua.*

## III.

*Vt vigili peragam studio quod functio poscit,  
CHRISTE, valetudo sis rogo firma mihi.*

## IIII.

*Instar opum validæ mihi sunt in corpore vires,  
Has mihi conserues, CHRISTE benigne, diu.*

## Tetraſtichon Heroicum.

*Qui concessisti vitam mihi, Conditor alme,  
Ad tempus digneris eam mihi quaeso tueri:  
In me paulatim crescant vt lumina verbi,  
Demonstremq<sub>3</sub> alijs iter id, quod ducit in astra.*

## Elegiacum.

*Qui princeps vitæ es, vitam mihi, Christe, propaga,  
Nil in eam Satanae fac valeatq<sub>3</sub> furor.  
Organa nil Satanae noceant huic omnia: tandem  
Me placidè in cæli gaudia, CHRISTE, vebas.*

## Alia precatio.

*Da viuam ad tempus, celebrem tua munera, Christe:  
Non celebrat laudes mortua turba tuas.  
Nempe per hæc vt te noscant encomia plures,  
Qui teneant tecum post sua fata polum.  
Si placet ergo meæ extrahito mihi stamina vitæ.  
Quæ venit à viuis laus tibi, CHRISTE, venit.  
Decurso vitæ spacio Simeonis in hora,  
Me demtum terris in tua regna loces.*



Ex verbis Pauli, Coloss. 2. sub finem,  
Honorem habete corpori.

Fac possim membris in corpore semper honorem,  
Quem, DEVS, à nobis per verba requiris, habere.

PRO LEVATIONE ET DEP  
pulsione morbi præsentis.

## I.

Instaurato meas, vitæ dux maxime, vires:

CHRISTE, valetudo redeat precor integra membris.

## II.

Exhaustit languor vires mihi corporis omnes,

Has mihi confirma, languorq; recedat, IESV.

## III.

In me, CHRISTE, febris certissima contere signa:

Semina tu morbi discutiasq; mei.

## IIII.

A me, CHRISTE, mei capitis vertigo recedat:

Vt cerebrum laudi seruiat vsq; tua.

## V.

Nemo meum possit mihi cum depellere morbum,

Exhibeas medicam tu mihi, CHRISTE, manū.

## VI.

Scis nobis melius, nobis quid proffit & obsit:

Commendo totum me, pie CHRISTE, tibi.

## TETRASTICHON.

Peccatis meritum fateor me, CHRISTE, procellas

Præsentis morbi: mea sed mihi crimina dones.

Deinde meum morbum, si fert tua sancta voluntas;

Aut tolle, aut leni: grato vt te pectore tollam.

Alia precatio.

Spem



Spem superesse finit modicam mihi morbus, 7 E-SV,  
 Præsentis vitæ: nil nisi languor adest.  
 Per morbum hunc si me cupis hac tellure vocare,  
 Obsequar, hanc animam dans tibi sponte meam.  
 Si superesse tuæ laudi me, CHRISTE, placebit,  
 Admoueas medicas tu mihi quaeso manus.  
 Verus enim es Raphaël, via tunc tibi nota iuuandi,  
 Desperat ratio cùm mea prorsus opem.  
 Omnibus exemptus causis es, CHRISTE, secundis:  
 Libera mens veluti tu tua semper agis.  
 Quin ad saluandum te dicis & esse Magistrum:  
 Atq; potest vires nil superare tuas.  
 Ergo magisterij specimen nunc ede, meoq;  
 Me releues morbo, si placet, oro, graui.  
 In laudem spectare tuam si noscis id ipsum:  
 Si prodest animæ res ea fortè meæ.  
 Per te reddentur si saluæ in corpore vires,  
 CHRISTE, mihi, assidue te mea Musa canet.  
 Atq; meæ princeps vitæ celebraberis vnus,  
 Seruiet hæc laudi vitæq; tota tuæ.  
 Si me fortè voles statione recedere vitæ,  
 Huius, per morbum hunc, sis rogo præsto mihi.  
 Irradia mentem cœlestis lumine verbi:  
 Viuificet Flatus cor Sacer atq; meum,  
 Vt tradens animam tibi, Christe benigne, regendam,  
 De terra in cœli limine grata vehar.

PRO SVPPEDITIONE  
 victus & amictus.

Disticha Heroica.



## I.

Est data vita mihi per te clementer, ꝛ ESŪ:  
Da quoqꝫ, quæso mihi vitæ quibus indiget vsus.

## II.

Qui sum vitales per te productus in auras,  
Nunc alimenta meæ dones, D E V S in clyte, vitæ.

## III.

Exigua hæc mihi sufficiat quò copia rerum,  
Quam mihi donasti, tua gratia præstet, ꝛ ESŪ.

## IIII.

Fons, bone CHRISTE, boni, nobis largire benigne  
Omnia, quottidiè vitæ quorum indiget vsus.

## V.

Qui das alitibus, iumentis, piscibus escam:  
CHRISTE, necessario de victu prospice nobis.

## ELEGIACA.

## I.

Suppetat vt nobis victus, nec desit amictus,  
Dæt tua larga, D E V S, dans bona cuncta, manus.

## II.

Me nondum genitum pauisti matris in aluo:  
Suppedites victum nunc quoqꝫ, CHRISTE, mihi.

## III.

Non dubito pasces quin me clementer adultum,  
Gratis non natis dans alimenta, D E V S.

## IIII.

Lilia qui vestis, volucres qui pascis, ꝛ ESŪ,  
Me famulum vesti, me quoqꝫ pasce, tuum.

## V.

Qui coniunctum animæ corpus mihi, Christe, dedisti,  
Pasce animam verbo, corpus alasqꝫ cibo.

## VI.

Qui



Qui produxisti saluum me matris ab aluo:  
CHRISTE, tuo famulo non alimenta neges.

## VII.

Qui mihi, ceu maius, vitam, pie CHRISTE, dedisti:  
Ut minus, ab victum suppeditato mihi.

## VIII.

Das brutis alimenta, DEVS, qui commoda clemens,  
Non victum gnatis abnue queso tuis.

## CONTRA AVARITIAM,

## Tetrastichon.

Hac DEVS in vita mihi nil donaueris vnquam,  
Quod me iam memorem non sinat esse tui.  
Quod ferat atq; mihi per longa obliuia cœli,  
Quo minus obueniatur vita salusq; mihi.

## DISTICHA.

## I.

Impia turba licet frumento opibusq; redundat:  
Vnius me, CHRISTE, tuo sustento fauore.

## II.

His ego contentus quæ dat tua dextera viuo,  
Des mihi post obitum cœli tantum atria, Christe.

## III.

Nil ego diuitias curo, quas mundus adorat:  
In Domino cupio diues at esse DEO.

## IIII.

Hic dum mundus opes, vanos dum quærit honores:  
Vulnera sunt CHRISTI gloria sola mihi.

## V.

Hic mihi contingat, quod fert tua, Christe, voluntas:  
Dummodo post obitum sit mihi certa salus.

Sims



## VI.

*Sin* terris, quemcunq<sub>3</sub>, DEVS, me iusseris esse:  
 Dummodò contingat vita beata mihi.

PRO FELICI ANNO  
 NÆ PROVENTV, SVB  
 tempus vernum.

## I.

*Tristis* hyems abiit, redeunt iam tempora Veris:  
 Christe, per æstatem pacem & bona cætera dones.

## II.

*Sint* vt in arboribus gemma, DEVS optime, tute,  
 Sint sata tuta tuis, facias ob vulnera Gnati.

## III.

*Arboribus* tribuas floralia commoda, CHRISTE:  
 Nos & frumento dones & fructibus almis.

## IIII.

CHRISTE, coronasti qui tempora prisca, corones  
 Hunc etiam bonitate tua feliciter annum.

## V.

*Da* tempestates nobis, Pater alme, salubres:  
 Proferat & fructus terra benigna suos.

## VI.

*Muneribus*, bone Christe, tuis hunc quæso corones  
 Annum, quò celebret te pia turba Ducem.

SVB INITIVM ET PRO  
 gressum æstatis,

## I.

*Ver* abiit, nostris æstas nunc ingruit oris:  
 Daq<sub>3</sub>, foueq<sub>3</sub> tuis pacem & bona cætera, Christe.

## II.

C

Da



Da tempestatem rebus nascentibus aptam,  
 Quæ simul, alme DEVS, nobis pecudiq<sub>3</sub> salubris.

III.

Credidimus quæ grana, DEVS, pro tempore terræ:  
 Hac, duce te, reddat magno cum fœnore nobis.

IIII.

Aestivas, simul hybernas, pie CHRISTE, foueto  
 Fruges, & noxas ab eis quascunq<sub>3</sub> repelle.

V.

Semina iam plebis terræ commissa foueto:  
 Vtiliter surgant fructificentq<sub>3</sub>, DEVS.

VI.

Nascendis præsto tua sit benedictio rebus:  
 Hinc, ô CHRISTE, procul damna luemq<sub>3</sub> fuga.

### Pro pluuiâ.

I.

Serotinam pluuiam, matutinamq<sub>3</sub> precamur  
 Digneris nobis demittere ab aëre, CHRISTE.

II.

Imbre rigato DEVS sitientia gramina campi,  
 Suppeditans messi læta incrementa futura.

III.

Aenea nunc cœli facies, & ferrea terra est:  
 Vtramq<sub>3</sub> at verbo, CHRISTE, resolue tuo.

IIII.

Imbribus humectes sitientia germina terræ:  
 Et plantis vires suffice, CHRISTE, nouas.

V.

Aerea da facies cœli, DEVS optime, cesset:  
 Ferrea sic tellus desinet esse tuis.

### Pro serenitate.



## I.

Ab pluuias cohibè, & cœlum, Pater alme, serena,  
Vt post multa nitens redeat iam nubila Phœbus.

## II.

Discipulis sedat veluti tua, Christe, procellas  
Dextera: sic illa pluuiosas disijce nubes.

## III.

Humiditate solum nimia quia, CHRISTE, rigatur:  
Ab pluuiam sistat clemens tua dextra frequentem.

## IIII.

Vt terræ possint, DEVS optime, semina condi:  
Siste precor pluuiam & cœlum largire serenum.

## V.

CHRISTE, fac vt redeat nobis iam mitior aura:  
Sic olyræ poterunt spicæ protrudere flores.

## VI.

Solue, DEVS, nubes, pluuiam moderare, frequentem:  
Phœbæa redeat luce serena dies.

## VII.

Siste precor pluuiam, quò verna sementis, IESV,  
Rectius absolui, quæ modò cœpta, queat.

## VIII.

Ab olyræ tribuas floralia commoda, CHRISTE:  
Seminibus spicas deinde repleto bonis.

PRO FRIGORIS INTEM-  
pestiui compressione.

## I.

Frigidior iusto est presentis temporis aura:  
Aëra des tepidum, CHRISTE benigne, tuis.

## II.



*Frigora ne noceant Olyra iam floribus ista:  
Hac inhibe verbo, CHRISTE benigne, tuo.*

III.

*Frigora discutias, des aera, CHRISTE, serenum:  
Ac olyra flores mitior aura tegat.*

IIII.

*Frigida tempestas nobis ne grandine fruges  
Comminuat, tepidos da, DEVS alme, dies.*

### Pro ventorum inhibitione.

I.

*Te mandante, DEVS, venti sedentur & imbres:  
Et redeat nobis post turbida nubila Phoebus.*

II.

*Ventorum rigidos, DEVS optime, comprime flatus:  
Nos tepida dones aura, caeloq, sereno.*

III.

*Ne teneras frigus plantas corrumpat adurens,  
Hoc tua confringat dextera celsa, DEVS.*

IIII.

*Ventorum gelidos, DEVS o, compesce tumultus,  
Ne segeti noceant arboreisue comis*

### Tempore messis.

I.

*Messis init, frumenta iacent desecta per agros:  
Disyice iam nubes, da tempora, CHRISTE, serena.*

II.

*Da solis noster, DEVS, igne calescat Horizon:  
Ut bene desiccata queant frumenta recondi.*

III.

*Redde dies claros, si fert tua, CHRISTE voluntas,  
Ut caelo condi possint tua dona sereno.*

Suspensa



## IIII.

Suspensa pluuia tempestas sicca sequatur.  
Demessas radijs fruges Sol siccet, 7 E SV.

## V.

Quaeso reduc Solem, tibi si placet illud 7 E SV:  
Ut comportari iam tua dona queant.

## VI.

Ne, DEVS, in fundis pereant putredine fruges,  
Excipiat pluuios aura serena dies.

## IN AUTUMNO.

## I.

Sicca per Autumnum nobis da tempora, CHRISTE,  
Pertexi ante hyemem possint ut rite labores.

## II.

Ut sit in Autumno tempestas, CHRISTE, serena,  
Cultorum gregibus, da per tua lytra, tuorum.

## III.

Siste per Autumnum pluuiam, caeliq; sereni  
Munera discipulis da, pie CHRISTE, tuis.

## IIII.

Hoc ut in Autumno Phœbus sua lumina spargat,  
Perficias nutu, CHRISTE benigne, tuo.

## HEXASTICHON.

Commodius terra possint ut semina tradi:  
Instaurent nostri sua diruta limina ciues,  
Ac absoluantur diuersi rite labores,  
Disijcias nubes pluuias, da, CHRISTE, coruscantem  
Auram: pretereas nec surdis auribus ista  
Vota tui populi: merita te laude uehemus.

PRO AERIS SALVBRITE  
ac luis pestiferæ auersione.

C 3

Pestiferam.



**I.**  
Pestiferam, DEVS alme, luem, famis atq; pericla  
A nobis arce, nec non genus omne malorum.

**II.**  
Aër conueniens homini, pecudiq; salubris,  
In nostra regione tuo sit munere, CHRISTE.

**III.**  
Promeritam lenito, DEVS mitissime, pœnam:  
Bella, famem, pestem, nostris à cœtibus arce.

**IIII.**  
Fons, ó CHRISTE boni, purum des aëra nobis:  
Vlla nec inficiat corpora nostra lues.

**V.**  
Transitione nocens à nobis pestis vt absit,  
Imperio efficias, optime CHRISTE, tuo.

**VI.**  
A nostris arce contagia qualibet oris:  
Dux vitæ manibus nos tege, CHRISTE, tuis.

**PRO DEFENSIONE PATRIAE**  
& tuguriolorum nostrorū, aduersus πυρ-  
καϊα, incendia, conflagrationes, &c.

**I.**  
Igneus, ah, circum nos esto murus, IESV:  
Sit mea tuta domus, mihi sit mea patria tuta.

**II.**  
Christe meam patriam, mea limina protege, Christe:  
Nos circa fueris nisi murus aheneus, actum est.

**III.**  
Auertas flammam, & nos, & nostra tuere:  
Patria sit, IESV, sit mea tuta domus.

**IIII.**

CHRI-



CHRISTE, tegas nostram, rogo, nocte dieq<sub>3</sub> Sareptā:  
Non perdat nostras noxia flamma casas.

## V.

Tecta mea patriæ vigili rogo protege cura:  
Te custode domus sit mea tuta, DEV S.

## VI.

Excubias peragas pro nobis, CHRISTE, fideles:

Ignis edax ne nos, nostraq<sub>3</sub> fortè voret.

PRECATIVNCVLAE A ME CON-  
textæ in ipso incendio, quod exortum 25. Iulij,  
in vigilia D. Iacobi, altera hora noctis, Anno  
Christi 1576. mediã patriæ meæ absorpsit par-  
tem: cum hoc ἡμικάυτωμα præcessisset πανολε-  
θρία ἢ ὀλοκάυτωμα huius oppidi 17. Iulij,  
1554. excitato incendio post horam  
7. A. M. Interuallum fuit 22.  
annorum, & octidui.

## I.

Venit summa dies, & ineluctabile fatum,  
Ut puto, Christe, meæ patriæ. Nam flamma videtur  
Omnia consumtura: tuis succurre sed vltro.  
Ab inhibe flammæ: finito superesse pusillum  
Mœnibus in nostris, similes nec redde Gomorræ  
Cultores, ô CHRISTE tuos: ab parce relietis.

## II.

Arida ceu vento variè iactatur arena:  
Sic quoq<sub>3</sub> disijciunt nos malefacta, DEV S.  
Non tamen effundas in nos magno agmine pœnas:  
In nos sedetur sed grauis iste furor.  
Ob meritum Gnati nobis bonus esto piusq<sub>3</sub>:  
Nos conuerte tuo numine, damna leua.



*Te sine conuerti quoniam non possumus vnquam:  
Conuersis tribuis mitia fata libens.*

**Distichon.**

*Absumant vrbes cūm dira incendia totas.  
Hey quæ flamma reos in Phlegethonte premet?*

**GRATIARVM ACTIO, QVAM**  
composui, sedato mirabiliter & di-  
uinitus incendio.

*Me quòd in hac patriæ seruasti, CHRISTE, ruina,  
Ignis vbi inuasit limina nostra ferox.  
Exitium est nobis minitatus & omnibus atrox:  
Præsidium agnoscens prædico iure tuum.  
Vt tali es patriæ tutatus tempore partem  
Præcipuam, noster ceu Samarita pius:  
Publica sic posthac, priuataq; tecta tuere  
Robore diuino, Præpetibusq; tuis:  
Quos homines propter formasti, scilicet vt nos  
In nostris foueant nocte dieq; vijs:  
Sic nos congressus templi celebrando frequentes,  
Dicemus laudes supplice corde tuas.*

**Alia.**

*Christe, meæ patriæ quòd pars, te dante, remansit,  
Euasit flammæ sic mea salua domus.  
Stat Schola cum templo, stat curia nostra superstes,  
Tectorum medius nunc numerusq; viget:  
Fraternum esse tuum id cognosco munus, 7 E S V:  
Tutorem nostri te cano iure gregis.  
Tu posthac nostram tege iugiter oro Sareptam,  
Aduersus flammæ, & genus omne mali.*

*Flamma*



Flamma domus quibus eripuit, quibus atq; supellex  
 Est absorpta, sedent in cinerumq; choro,  
 Hos verbis solare tuis, & Flamine sancto:  
 Fac se subijciant & sua cuncta tibi.  
 Compescant fremitū, quemuis reprimantq; furorem:  
 Fatali in pœna, maxima pœna, furor.  
 Iacturam acceptam rerum da vincere possint:  
 Tuq; necessarijs instrue rebus eos.  
 Hi, concessa quibus multarum est copia rerum,  
 Da largam his pandant munificamq; manum.  
 Deumire sibi studeant te munere tali  
 Quod benè fit membris, fit bonè, CHRISTE tibi.  
 Fac vitam tolerare queant, educere prolem  
 Et teneram sanctè, non pereantq; fame.  
 Aedificare iterum quedam magalia possint,  
 In quibus hi tuti sint maneantq; casis,  
 Aduersus pluuiam, nimbos, imbrisq; tumultus,  
 Aduersus ventos, frigora seua, niuem.  
 Vnà nobiscum tua sic praconia dicent:  
 Et tua sic per nos fama perennis erit.

### Distichon.

In nihilum quòd non meriti ratione redacti  
 Nos sumus, vnus fecit tua gratia CHRISTE.

### PRECATIUNCULA

πρὸς συμπάθειαν.

Cladibus ab omnes da compatiamur Ioseph:  
 Non nimis immites animos, pie CHRISTE, geramus.

**TETRASTICHON, CONTI-**  
**nens adhortationem ad beneficentiam erga inopes.**

C 5

Da tua,



*Da tua, dum tua sunt: post mortē iam tua non sunt:  
Non membris CHRISTI sit tua clausa manus:  
Fœnerat is Domino quisquis largitur egeno:  
Dando pijs nostra ritē locantur opes.*

**PRO PERPETVA NO-**  
**STRI DEFENSIONE,**  
*Ad Deum.*

I.

*Sis vindex nostræ constans, DEVS alme, salutis:  
Auxiliumq; feras nobis in rebus egenis.*

II.

*Antea iuivisti, qui me, DEVS optime, sæpè:  
Auxiliatricem mihi iam quoq; porrige dextram.*

III.

*Nos quia cura sumus tua, nos, Pater inclyte, cura:  
Sic nullus qui nos ledere possit erit.*

IIII.

*Corporis ac animi, DEVS, oro repelle pericla:  
Te tutore bonis nil noceatq; meis.*

V. Psal. 90.

*In medijs mihi sis velut anchora sacra procellis:  
Nec me desertum mi DEVS esse velis.*

VI.

*Iecisti nostræ ceu fundamenta salutis:  
Sic super illa, DEVS, iam bona multa struas.*

VII.

*Oppressura meum caput est quæ fortè procella,  
Distrahat oro potens hanc tua dextra, DEVS.*

VIII.

*Suscipias nostri clemens, DEVS optime, curam:  
Nec nos æternū deseruisse velis.*

TETRA-



## TETRASTICHON.

Quem tua cura, DEVS, vult seria cunq<sub>3</sub> tueri,  
 Tutus is in media clade manere solet.  
 Me tibi propterea totum committo tuendum,  
 Sic metuenda scio est nulla ruina mihi.

## Ad Christum.

I.

Robore nos muni, nos consilioq<sub>3</sub> gubernas:  
 Arce naufragium, vehe nos ad littus, 7 E S V.

II.

Discipulo mihi fata tuo da mitia, CHRISTE:  
 Solamenq<sub>3</sub> mihi fidum sis rebus in arctis.

III.

CHRISTE, voluptati tibi me fuit antè iuuare:  
 Iam mihi presidio experti succurre benignus.

IIII.

Adsis, CHRISTE, mihi, me dirige, protege, salua:  
 Te retrahente manum nil sum, pereamq<sub>3</sub> necesse est.

V. Rom. 9.

Qui DEVS es verus, meritò laudandus in æuum,  
 Protege diuino me robore semper, 7 E S V.

VI.

Cùm sis consilio magnus, cùm robore fortis,  
 Me rogo tutandum, me suscipe, CHRISTE, iuuandū.

VII.

Tu nos, CHRISTE, tuis age protege fortiter alis:  
 Quæ nocitura tuis, nosti, mala quæq<sub>3</sub> repellas.

VIII.

Suscipe CHRISTE mei curam, rerumq<sub>3</sub> mearum:  
 Et quoscunq<sub>3</sub> meos fraterna suscipe cura.

Distis



## Disticha Elegiaca.

I.

In nos fraternum clementer dirige vultum :  
Omnipotente tua nos tege, CHRISTE, manu.

II.

Sub mundi impendent maiora pericla senectam :  
Adsere, CHRISTE, gregem fortiter ergo tuum.

III. Psal. 31.

In manibus mea vita tuis consistit, 7 E SV :  
Exuat ærumnis me tua dextra meis.

IIII.

Custos antè meus, protector itemq<sub>3</sub> fuisti :  
Sis posthac tutor, CHRISTE benigne, meus.

V.

Presidio orbatum me suscipe, CHRISTE, tegendum.  
Meq<sub>3</sub> per angustam defer in astra viam.

VI.

Adiutum me CHRISTE veni iam rebus in arctis :  
Hæc mutare potest nam tua dextra, DEV S.

VII.

Syrtibus immer sus miser hereo : CHRISTE venito  
Tu mihi subsidio, vel mea cymba perit.

VIII. Ex Psal. 27.

Me patris & matris dum prouida cura relinquit,  
Suscipias curam, CHRISTE, benigne mei.

IX.

Christe, tuum nutum quia fata sequantur oportet,  
Tu mea laesuro subtrahere colla iugo.

X.

Presentem



*Præsentem nobis intentant omnia mortem:*  
*Omnia discutias, CHRISTE, pericula tuis.*

XI.

*Vmbra tue dextra me texit vt antè potenter:*  
*Sic eadem posthac me quoq<sup>3</sup>, CHRISTE, tegat.*

XII.

*Defensor, tutorq<sup>3</sup> meus sis oro fidelis:*  
*Nil sine subsidio sum, pie CHRISTE, tuo.*

**PRO MITIGATIONE IRÆ**  
 diuinæ ac præsentium calamitatum, ac  
 pro auersione impendentium.

I.

*Ne nos plecte, Deus, veluti mala nostra merentur:*  
*Sed memor esto tue media bonitatis in ira.*

II. Ex Hier. cap. 14.

*Non ita percutias nostros, DEVS optime, lumbos:*  
*Desperatorem quisquam ne vulnera sanet.*

III.

*Non obuerte tuum nobis, Deus inclyte, dorsum*  
*Sed patrium clemens in nos conuertito vultum.*

IIII.

*Vt DEVS es iustus, sic es bonus atq<sup>3</sup> benignus:*  
*Iram iusticiæ bonitas tua patria vincat.*

V.

*Fac post mœrorem noua carpere gaudia possim:*  
*Fata, DEVS, mihi commutes mea tristia letis.*

VI.

*Non meriti ratione mei me plecte: sed iram*  
*Temperet, ah, clemens tua iam miseratio, Christe.*

VII.

Qui



44

*Qui regis imperio trifidum, Deus inclyte, mundum,  
Discutias clades, quæ nos hoc tempore cingunt.*

• VIII.

*In dubijs accurro, D E V S, te rebus asylum:  
Deseror humanis quia viribus vndiq<sup>3</sup> totus.*

IX

*Et me CHRISTE libens vrgentibus eripe damnis:  
Et simul instantes clemens arceto procellas.*

### Disticha Elegiaca.

I. Oseæ II.

*Ne ratione, D E V S, meriti nos plecte nocentes:  
In pœna patrij pectoris esto memor.*

II. Ex Psal. 68.

*Quo me fasce grauas, tali me fasce leuato:  
Id fuerit visum cum, bone CHRISTE, tibi.*

III. Micheæ 7.

*Peccaui: idcirco placido fero pectore pœnam:  
Mitiget hanc pietas, sed tua, CHRISTE, mihi.*

IIII. Ex Psal. 78.

*Ne plenum effundas in nos, Pater alme, furorem,  
Respiciens Gnati vulnera sancta tui.*

V. Psal. 77.

*Me mala multa premunt, magno velut agmine facto:  
Hæc mutare potest sed tua dextra, D E V S.*

VI.

*Non me, Christe, meo merito rogo plecte nocentem:  
Sed meritum propter tu mihi parce tuum.*

VII.

*Impendent nostris mala quæ ceruicibus, illa  
Arceto à nobis, maxime CHRISTE, procul.*

Auxilij



## VIII.

Auxilij expertem me protege, CHRISTE, potenter:  
 Diuinamq; mihi subtrahere nullus opem.

## IX.

In duris mihi sis, DEVS optime, rebus asylum:  
 Optatam in CHRISTO fer mihi semper opem.

## X.

Christe vides quæ nos iam dura pericula cingant:  
 Eruat è cunctis nos tua dextra malis.

## XI.

Mauritij pij Imperatoris precatio.  
 His, DEVS, in terris me castigato paternè:  
 Parce animæ misere post mea fata meæ.

## XII.

Tristia commutes, Deus optime, tempora, lætis:  
 Fortuna ob Gnatum nos meliore bees.

## PRECATIO NVLLE

ad Christum directæ, vt sua apud Patrem in  
 tercessione sedet iram eius, & pœnarum  
 mitigationem impetret.

## I.

In nos ne nimium fera scœuiat ira parentis,  
 Hanc sedare tuis precibus digneris, IESV.

## II.

In iurias dextram dextra, bone CHRISTE, parentis,  
 Qua nos decreuit grauitè punire nocentes.

## III.

Cùm furor in cursu Patris est, ne crimina plectat  
 Pro merito, precibus, CHRISTE, iuuato tuis.

## IIII.

Ira



*Ira diuinæ ne nos absorbeat æstus,  
Commendes supplex nos, pie CHRISTE, patri*

PRO REMISSIONE  
PECCATORVM.

*Ad æternum Patrem.*

I.

*Propitius, DEVS, esto mihi, peccata remitte  
Quæso mihi gratis, chari per vulnera Gnati.*

II.

*Es veniæ facilis, DEVS, & placabilis ira:  
In CHRISTO veniam me suscipe quæso petentem.*

III.

*Corde humili peccata miser cognosco, proinde  
Effari possum nil, nisi parce, DEVS.*

IIII.

*Peccatis ignosce meis DEVS optime, Gnati  
Dilecti propter vulnera quinq; tui.*

V.

*Multa miser timeo, quia multa nefanda patraui:  
Ignoscas vitijs, ah Pater alme, meis.*

VI.

*Ex quarto versu Psal. 41.*

*In te peccaui, mihi sed, DEVS, esto benignus:  
Et sanes animæ vulnera scæua meæ.*

VII.

*Cùm tuus ob mundum factus sit victima Gnatus:  
Propitius misero sis mihi, parce DEVS.*

VIII.

*Gratuitò peccata, DEVS, mihi cuncta remitte:  
Gnati namq; fide vulnera cerno tui.*

*Ad*



*Ad Filium Dei.*

I.

Sum quia multiplicis peccati mole grauatus,  
Hoc me fasce leua, tua vulnera propter, *7* E S V.

II.

Non proprijs nitor meritis, de sanguine totus  
Pendeo, Christe, tuo: gratis mihi crimina dones.

III.

Iustitiae me, CHRISTE, tua circumdato veste:  
Ut primos agni circumdas pelle parentes.

IIII. Iohan. 1.

Sanguine qui proprio mundi peccata tulisti,  
Agne DEI, ex animo sit tibi cura mei.

V.

Omnia, CHRISTE, reis nobis peccata remitte,  
Corporis ob sancti vulnera quinq, tui.

VI.

CHRISTE mei agnosco quia tristia vulnera cordis:  
Sint mea vulneribus vulnera sana tuis.

VII. Rom. 14.

Sum tuus: ecce tuo sum sanguine, Christe, redemptus.  
Aut viuam aut moriar sum tamen vsq, tuus.

VIII. 1. Iohan. 1.

Sanguis, Christe, tuus me crimine mundat ab omni:  
Adscribam facias hunc mihi queso fide.

IX.

Cum sis pro mundo pia victima factus *7* E S V.:  
Fac possim compos sanguinis esse tui.

X.

D

Discipulo

Ad





Discipulo bonus esto tuo, fratriq<sup>3</sup>, Redemptor:  
Mortuus ac viuus sum maneoq<sup>3</sup> tuus.

XI.

Christe, mei miserere precor, me respice seruum:  
Nam me seruauit sanguinis vnda tui.

XII. Genes. 8.

Vellere qui primos texisti, CHRISTE, parentes:  
Indue iustitie me rogo veste tua.

XIII.

Que mihi natus homo de celo, CHRISTE, tulisti,  
In cor includam fac bona cuncta meum.

XIIII.

CHRISTE, tui fratris frater miserere precantis:  
Participem meriti me faciasq<sup>3</sup> tui.

XV.

Per te, CHRISTE, fruam cœli sic effice sede:  
Passus vt es pro me vulnera, flagra, necem.

XVI.

Es quia pro mundi mactatus crimine, CHRISTE,  
Fac potiar meritis, tempus in omne tuis.

XVII.

Quos ego multiples viuus circumfero nœuos,  
Hos precor abluito sanguine, CHRISTE, tuos.

XVIII.

Angelicam quoniam non possum viuere vitam,  
Condona lapsus tu mihi, CHRISTE, meos.

XIX.

Ob mea ne peccata Pater me damnet, IESU,  
Corporis huic monstres vulnera sancta tui.

XX.

Criminis



*Criminis ab, o Christe, reus ne trudar in Orcum,  
Abluat hoc penitus sanguinis vnda tui.*

**PRO TEMPESTIVA ET**  
salutari pœnitentia & conuersio-  
ne ad Deum.

**I. Hieremiæ 31.**

*Nos conuerte, DEVS: sic conuertemur & ipsi:  
Esse nequit nobis sine te conuersio cura.*

**II.**

*Me conuerte, DEVS: sic vt conuertar & ipse:  
Meq; coharedem statuas post funera, Gnati.*

**III.**

*CHRISTE, fac vt mihi sit conuersio seria cordi:  
Hac in parte mihi dilatio sordeat omnis*

**IIII.**

*Dum tua per verbum bonitas monstratur, IESV,  
Iam mihi: da cupiam studio resipiscere vero.*

**V.**

*Conuersis, DEVS, irasci non expetis vnquam:  
Me conuerte: tuum fugiam quò deinde furorem.*

**VI.**

*Te me conuertente, DEVS, conuertar & ipse,  
Surgere non valeo. te nisi dante manum.*

**VII.**

*Declinare finas me semper atrociam, CHRISTE,  
Crimina: ne spargam scandala multa iuues.*

**VIII.**

*Infligam ne fortè meo da vulnera cordi:  
Excidere vt cogar, CHRISTE, fauore Patris.*

**IX.**

*Non in peccato sine me consistere atroci:  
Ex lapsu reuoca me, pie CHRISTE, meo.*

D 2

Dum



X.

*Dum preciosa locum venia mihi gratia prebet,  
CHRISTE, tua, hac uti da rogo ritè queam.*

XI.

*Horam da venia nos cognoscamus, 7 ESV:  
Ne tua nos cuculos obruat hora breui.*

XII.

*Iactet opes qui vult, magnos & iactet honores:  
Vnum iacto meum te, pie CHRISTE, caput.*

EX DICTO D.

AVGVSTINI.

*Nulla pœnitentia est sera, tantùm fit vera &  
feria. Sed nimis sera, rarò est vera:  
vel saltem est periculosa.*

TETRASTICHON.

*Sera hominis non est, modo sit conuersio vera:  
Sera, sera nimis, vix tamen esse solet.  
Sera si fuerit, res est ea plena pericli.  
Qui sapit, ad mentem mox redit ille bonam.*

PRECATI VNCVLAE

pro mansuetudine.

I.

*CHRISTE, mihi veluti gratis mea crimina donas:  
Omnia sic facias condonem debita fratri.*

II.

*Cùm, DEVS, in mites sis mitis: & asper in illos  
Qui sunt immites: mihi mitia pectora confer.*

III.

*Fratribus vt possim placabilis omnibus esse,  
Flamine me sancto, CHRISTE benigne, regas.  
Christe,*



## III.

*Christe, iuues ne dem spaciosum tempus in iram:  
Nulla simultatis sit mihi cura grauis.*

## Roman. 12.

*Non malè redde malis: mala sed patientia vincat:  
Fratribus ac neuos facili fac corde remittas.*

## Ibidem.

*Ne vincare malis: vincas bonitate malignos,  
Nobile vincendi genus est patientia, duos  
Vincere mollicie, lepida comitate procaces.*

PRO REPRESSIONE  
Diaboli.

## I.

*Insijs dum nos varijs petit vndiq, Demon,  
Rebus succurras, dubijs, bone frater 7 ESV.*

## II.

*Vt trabe supposita tentati auerte ruinam:  
Prouideas ne me Satanus euertat, 7 ESV.*

## III. Rom. 14.

*Qui contriuisi Stygij capita alta Draconis:  
Hoste hunc sub pedibus quoq, contere Christe, pioru.*

## IIII.

*Christe triumphator, duce te, fac vt ipse triumphum  
De Satana asportem, cum me prosternere tentat.*

## ELEGIACA.

## I.

*Ex dicto 1. Timoth. 1. & Rom. 14.  
Sit mihi firma fides, sit mens mihi conscia recti:  
Sub pedibus Satanam contere, CHRISTE, meis.*

## II.

D 3

Tentamur



52

Tentamur quoties, non euertamur ab hoste,  
Praesidio tecti, CHRISTE benigne, tuo.

III.

Maior ut es Satana, sic toto maior es orbe:  
Porrigere tentato tu mihi, CHRISTE, manum.

IIII.

Est Satana tentare datum, sed vincere nobis  
Per te victorem, CHRISTE benigne, Stygis.

V.

Dum petit insidijs Stygijs me ductor, ab illo  
Eripias dextra me rogo, CHRISTE, tua.

VI.

Luciferum pepulit veluti tua dextera caelo:  
Sic & eum a nostro, CHRISTE, repelle grege.

VII.

CHRISTE, tua dextera me protege firmiter umbra:  
Ne mihi, ceu vellet, possit obesse Satan.

VIII.

Cum me forte Satan telis inuadit Auerni,  
CHRISTE mihi clypeus, portus, a sylon ades.

PRO CUSTODIA SAN-  
ctorum Angelorum.

I.

Christe, tuus quauis me protegat Angelus hora:  
Arceat insidias Satana: mala quaeq; repellat.

II.

Angelus in statione mea mihi sanctus, IESU,  
Te mandante tuus, sit praesto, noxia vertat.

III.

Me tua caelestis custodia cingat, IESU:  
A capite haec abigat cuncta pericla meo.

Tempore.



## IIII.

Tempore, Christe, tuus me muniat Angelus omni:  
Sic mihi nil oberit vis inimica Stygis.

## V.

Iugiter Angelicā iungas mihi CHRISTE cohortem,  
Tutus vt esse queam, sint mea tuta mihi.

## VI.

Angelico, DEVS alme, choro rogo præcipe, constans  
Vt nos in nostris asserat ille vñs.

## VII.

Aethereis semper me, CHRISTE, tuere ministris:  
In me nil Satane iuris habeto cohors.

## VIII.

Angelicæ mandata DEVS, da certa phalangi,  
Vt nos & nostros nostraq; cuncta tegat.

## P R E C A T I V N C V L A E

ἰνδὶ εὐθανασίας, pro felici & salutari mor-  
te, placidoq; ex hac valle dolo-  
rum discessu.

In omni tentatione, tribulatione & angustia  
nostra, & nunc, & in mortis hora, succur-  
rat nobis, pijsime IESV CHRISTE,  
auxiliatrix tua diuina potentia, Amen.

In all vnser anfechtung/trübsal vnd angst/  
komm vns zu hülffe / O du aller gütigster  
HERR Ihesu Christe / jetzt so wol / als  
darnach an vnserm letzten ende / durch  
deine hülfreiche vnd Göttliche  
krafft vnd macht / Amen.



## I.

Omnibus in nostris nobis succurre periculis  
Christe, tua dextra tam nunc, quàm mortis in hora.

## II.

Rebus in aduersis, hora quoq; mortis, ꝑ E S V,  
Anchora sis animæ portus & aura mea.

## III.

Quam commendo animam supplex tibi frater, Iesu,  
Hanc commendatam tu tibi semper habe.

## IIII.

Christe, meam excipias animam cum corpore cedit:  
Tuta sit in manibus iugiter illa tuis.

## V.

Philipp. I.

Dissolui cupio, vitæ ut statione relicta  
Tecum, CHRISTE, pari viuere sorte queam.

## VI.

Hinc migrabo libens, feret ut tua, Christe, voluntas:  
Ut regni consors sim super axe tui.

## VII.

In media sis morte mihi patronus, ꝑ E S V,  
Hanc animam excipiens in tua regna vehas.

## VIII.

Quando tibi visum est, hac me statione vocato:  
Des obitum placidum, CHRISTE benigne, mihi.

## IX.

Hinc benè qui cedit, vita potietur in astris,  
Horam deinde mihi da, pie CHRISTE, bonam.

## X.

Christe meam affectare animam quia cernis Olympo.  
Corporis hanc soluas carcere quaeso sui.

Exemptos



## XI.

Exemptos terra tua nos in sceptrā reponas,  
Esse coheredes nos sine, CHRISTE, tuos.

## XII.

In nullis me, CHRISTE, malis, nec mortis in hora  
Desere: presentem fer mihi semper opem.

## CONSOLATIO.

Insultas frustra mihi mors: tua tela reconde:  
Nitor enim CHRISTO, tua spicula seua terenti.

## Precatio.

Compositus placida tandem fac pace quiescam:  
Hinc me, CHRISTE, mei cum funeris hora vocabit.

## Tetrasticha tria.

## I.

Tu mihi dum dux es, meus es dum Christe, patronus:  
Nil timeo insidias mundi, nil spicula mortis.  
Imo precor placidè terra me transfer ab oris,  
Liber vt ærumnis tecum super æthere viuam.

## II.

Christe DEVS, nostro sanguis de sanguine nate,  
Fratribus & tribuis qui bona cuncta tuis:  
Da mihi sic viuo fortuna benigna, meusq;  
Spiritus in cælo morte solutus agat.

## III.

Erigo vulneribus quoniam mea pectora quinq;  
Fac tecum vt letus viuere, Christe, queam.  
Possideamq;, nouæ cælestia gaudia vitæ:  
Sic tibi gratus ero; te sine fine canam.

D 5

PRO



PRO AVERSIONE  
VIOLENTÆ AC TRAG  
gicæ mortis.

I.

*A subita, turpi & tragica me morte tuere,  
His terris placida, 7 ESU, me transfer in hora.*

II.

*Morte DEVS tragica ne me patiaris obire:  
Dulci obsopitus somno da deinde quiescam.*

III.

*Ne moriar tragicè, faciat tua gratia, CHRISTE:  
Exitus optatus terra mihi detur ab oris.*

IIII.

*Non sine me tragico rogo funere, Christe, perire:  
Inter vota piè terris placideq; recedam.*

V.

*Cum Simeone pio placidè fac cedere possim  
Præsenti è vita, me defer in æthera, CHRISTE.*

VI.

*CHRISTE, redemisti qui me moriendo benignè:  
Ah ne me tragica morte perire sinas.*

PRO GLORIOSO ET EXOPTA  
to CHRISTI aduentu ad iudicium.

I.

*Christe veni, veniasq; citò, dulcissimè CHRISTE,  
Hunc renouans mundum, nos in tua regna locato.*

II.

*Christe, citò adueniens nos duc de valle dolorum:  
Scandala tolle: tuos & transfer in ætheris arcem.*

III.

Ne



Ne probitasq<sub>3</sub> fidesq<sub>3</sub> procul depulsa recedat,  
Iudicio propera, maxime CHRISTE, tuo.

## IIII.

Christe veni, ne nocte moram, mora tristis amanti est:  
Fratribus attribuas gaudia certa Poli.

## V.

In toto rerum facies est flebilis orbe:  
Ergo tuis placidus iam, bone CHRISTE, veni.

## VI.

Agminis en te mæsta tui suspirio parui,  
CHRISTE, vocant, venias ab cito, tempus adest.

## VII.

CHRISTE, redi iudex, tulerit tua quando voluntas:  
Translatum sanctos in tua regna veni.

## VIII.

Absq<sub>3</sub> mora, pie Christe, veni: mora noxia longa est:  
Eximito duris nos tua membra malis.

## Tetrasticha duo.

## I.

Christe veni, bone Christe, veni, cito perge, veniq<sub>3</sub>:  
Exime nos varijs ærumnis atq<sub>3</sub> procellis:  
Heredesq<sub>3</sub> tui subito nos effice regni.  
Hic labor & dolor est, requies ibi certa parata est.

## II.

Quàm certū est iudex quod, Christe redibis Olympo,  
Tàm certum est summum non procul esse diem.  
Fac vt ad aduentum possim me ritè parare  
Hunc, ô Christe, tuum: post loca dextra petam.

PRO COLLOCATIONE NO-  
stri ad dextram Christi iudicis.

## I.

Extrema



*Extrema ac optata pijs vbi venerit hora,  
Non hædos inter me, CHRISTE, repone: sed agnos.*

## II.

*Iudicij præses, cum veneris iride vectus,  
Me rogo compelles hac voce, VENITE: nec, I T E.*

## III.

*Ad loca ne iubeas me cedere, CHRISTE, sinistra,  
Cum iudex hominum post generalis eris.*

## IIII.

*Splendida iudicij cum venerit hora supremi,  
Ad dextram statuas me rogo, Christe, tuam.*

**PRO LÆTA NOSTRI RESVSCI<sup>o</sup>**  
*ratione, ac pro certa vitæ cœlestis ac  
æternæ possessione.*

**Tetrasticha.**

## I.

*Specio fide quia, Christe, tuum, venerande, cruorem,  
Et mihi clementer mea crimina quæq, remittas,  
Et facias vt sim certò post incola cœli:  
Hic mihi demensum tribuas, mala dura leuato.*

## II.

*Pauper inopsq, libens lacrymarum hac hæreo valle:  
Ruperit at mihi Parca meæ cum stamina vitæ,  
Iudiciumq, exercebis cum nube corusca,  
CHRISTE, fruar facias cœlesti sede beatus.*

## III.

*Diuitias licet in terris mihi, CHRISTE, negabis,  
Splendoremq, alium mundi: nil talia curo:  
Fac merito, bone Christe, tuo tantum ætheris aula  
Post potiar, maneamq, tuus per secla coheres.*

In me



## VIII.

In me mors æterna nihil iam iuris habebit:  
 Hac tibi quandoquidem iam non dominatur, 7 E S V:  
 Tuq<sup>3</sup> tui capitis me membrum agnoscis, & optas  
 Me tibi coniunctum per secula viuere tecum.

## DISTICHA,

## I.

I. Iohan. 12. & 17.

Nunc es vbi, tecum iubeas me, CHRISTE, ministrũ  
 Esse tuum, cum iam decessero valle dolorum.

## II.

Fac ibi sim tecum tandem post funeris horam,  
 Viuis vbi ante Patrem iam, pie CHRISTE, tuum.

## III.

Huc me queso vehas, vbi iam tu viuis, 7 E S V:  
 Vt fruar intuitu colloquioq<sup>3</sup> tuo.

## IIII.

Mortuus vt tumuli perrumpis vincula, CHRISTE:  
 Extincto vitam sic dabis inde mihi.

## V.

Qui Deus es, Deus esto meus, pater atq<sup>3</sup> patronus:  
 Ob Gnati meritum me super astra leua.

## VI.

Exiguo in terris dum sum numeroq<sup>3</sup> locoq<sup>3</sup>:  
 Me sine post tecum viuere, CHRISTE, sat est.

## VII.

Corporis exuero cum massam morte, per æuum  
 Gaudia percipiam fac ego, CHRISTE, poli.

## VIII.

Consortem me, CHRISTE, tui tunc effice regni,  
 Vt primũ fati venerit hora mei.

Gaudia,



## IX.

*Gaudia, Christe, poli memori dum mente reuoluo,  
Est graue quod reliquis, fit mihi dulce mori.*

## X.

*Mortales vt opes multi, pie CHRISTE, requirunt:  
Aethereos spectent fac mea corda lares.*

## XI.

*Quæ nobis tua dextra negat iam dona per orbem:  
Sarciat in supera fac ea, CHRISTE, domo.*

## XII.

*Susciter è tumuli per te sic, CHRISTE, cauerna,  
Vt consors vitæ sim super axe tua.*

## XIII.

*Cum tua maiestas fulgebit denuò, CHRISTE,  
In tua nos tecum regna beata vehas.*

## XIII.

*Firma tuis quæ discipulis promittis, IESU,  
Gaudia, des certò post ea quæso mihi.*

## LUTHERVS.

*Viuit Christus, & si ille non viueret,  
nollem me viuere.*

## DOCTRINA.

## I.

*Vt viuit CHRISTVS, sic nos viuemus in illo,  
Ipsius quotquot pendemus ab ore docentis.*

## I.

*Viuit in excelsis Christus, nec viuere vellem,  
Si non Immanuel viueret ille meus.*

## Precatio.

## I.

*Viuis*



59  
Viuis vt eternum, sic nos viuemus, *7* *ESV*,  
Et tecum & per te cæli super axe beati.

I.

Viuis, *CHRISTE*, *DEVS*, cuperem nec viuere, si non  
Te scirem *Immanuel* viuere, *CHRISTE*, meū.

Iohan. 14. *Viuo* ego, & vos viuētis.

Discipuli viuēt, *Christus* quia viuīt. *7* *ESVS*:  
Nil valet hos contra *Satanas*, mors, orbis & *Orcus*.

### Precatio.

Dum viuīs, viuam: sed viuīs, *CHRISTE*, per auum:  
Expers æternæ sic ego mortis ero.

**PRO FIDEI, ETIAM TE-**  
nui ac exiguæ approbatione.

I.

Inuoco te languente fide, sit languida quamuis,  
Est tamen illa fides, *DEVS*, hanc tua gratia firmet.

II.

Fundo preces equidem, sed non, vt debeo, credo:  
Firmius vt possim credere, *CHRISTE*, iuuā.

III.

Scintillas fidei quia tu mihi, *CHRISTE*, dedisti:  
Principijs robur iunge subinde meis.

IIII.

Languida, *Christe*, mei est, fateor, fiducia cordis:  
Languida sit quamuis, est tamen illa fides.

V.

Est in me fidei tenuis modò, *CHRISTE*, fauilla:  
Crescat vt hac faciat, *Spiritus*, oro, sacer.

*Illustrata*



## VI.

*Illustrata fides verbi splendore, corusce t  
Fac mea: paulatim crescat & illa, D E V S.*

## VII.

*Fido tuis dum iam sincero pectore verbis,  
Augmentum fidei da rogo, C H R I S T E, mea.*

## VIII.

*Qui tua difficili demonstras vulnera Thome:  
Me quoq<sub>3</sub> languentem, C H R I S T E benigne, foue.*

## IX.

*In te credo, D E I fili: me, C H R I S T E, gubernæ  
Credientem: fidei robur & adde mea.*

## X.

*Exigua est in me scintilla, fauillam  
Exiguum foueas Numine, C H R I S T E, tuo.*

## TETRASTICHON.

Ex Esaia cap. 66.

*Ab dubiam deploro fidem, mea languida vota:  
Te D E V S at fumum spernere nolle scio.  
Nec quoq<sub>3</sub> quassatum penitus contundere culmum:  
Parua tibi ob Gnatum sit mea grata fides.*

## FORMULAE PRECVM,

quibus oramus, vt D E V S vota no-  
stra habeat rata.

## I.

*Vere D E V S, Patris nostri qui nomine gaudes,  
Me gnatum exaudi, dilecti ob vulnera Gnati.*

## II.

*Non surdus, D E V S, es, patula sed suscipis aure  
Vota tui populi: mea sic admittito vota.*

## III.

Tu Pa-



Tu Pater es noster, tua gens sumus atq; propago:  
 Nil DEVS ob Gnati nobis tu lytra negabis.

IIII.

Quæ mihi corde meo, simul ore precatio fluxit,  
 Propitius pronis illam, DEVS, auribus hauri.

ELEGIACA.

I.

Nomine, mandato, chari per vulnera Gnati,  
 Fac rata, quæ facimus vota precesq; DEVS.

II.

Pro bonitate tua precor his, DEVS, annue votis,  
 Eueniant vitæ, te duce, leta meæ.

III.

Infirma quæ vota fide, DEVS optime, fundo,  
 Hæc rata per Gnati nunc age lytron habe.

IIII.

O DEVS, ob Gnati nomen venerabile CHRISTI,  
 Oro meis precibus pondus inesse sinas.

V.

Vota precesq; meas patulis, DEVS, auribus hauri.  
 Pronus in auxilium sis, Pater alme, meum.

VI.

Nomine quæ Gnati facio, mea vota secundes:  
 Fac bona, summe Parens, ista petita feram.

VII.

Qui Pater es CHRISTI, Pater idem noster es, audi  
 Me Gnatum, ob Gnati lytra precesq; tui.

VIII.

Exaudi mea vota, DEVS, per vulnera Gnati,  
 Fac per eum voti compos vt esse queam.

E

IN



IN EANDEM SEN-  
TENTIAM AD  
Christum.

I.

*Auris prona mihi tua sit, pie CHRISTE, precanti,  
Sinq<sub>3</sub> mei voti propter tua vulnera compos.*

II.

*Annuē, CHRISTE, meis fraterno pectore vetis,  
Vtq<sub>3</sub> optata feram, clemens tua gratia praestet.*

III.

*Obrutus erumnis cum te voco, CHRISTE, precanti,  
Aures concedas patulas, nec iusta negato.*

## ELEGIACA.

I. Ex Stigelij distichis Dominicalibus, facta  
vnius vocabuli immutatione.

*Das mandata tuis, da vires, CHRISTE, precandi:  
Da valeant firma pectora nostra fide.*

II.

*Hos gemitus, & Christe, preces age reddito firmas.  
Te sine nullius nam scio vota valent.*

III.

*Clementer, bone CHRISTE, meis precor annue votis,  
Speratamq<sub>3</sub> diu fer mihi promptus opem.*

IIII.

*Vota tui populi clemens admittito, CHRISTE,  
Ne spes frustretur nos quoq<sub>3</sub> nostra iuues.*

V.

Non



63

Non hominum quenquã repulisti, Christe, precantē:  
Suscipe sic placidè, quas ego fundo preces.

VI.

Inclamo te voce mea dum, CHRISTE, benignum,  
Exhibeas precibus te rogo, meq; iuuā.

VII.

In mea cum te vota voco, mihi, Christe, benignus  
Accurras: mihi des quæ peto, damna leues.

VIII.

Immanuel, abs te quæ supplice corde petiui  
Eueniant nutu fac mihi, CHRISTE, tuo.

IX.

Scintillam ob fidei tenuem me spernere noli:  
Te grandem exigua, CHRISTE, prehendo fide.

**P R E C A T I V N C V L A E**

**A D C H R I S T V M D I R E C T A E,**

quibus oramus, vt suas preces nostris ad-  
iungat, & sua pro nobis apud Patrem  
intercessione, vota nostra effi-

ciat rata.

I.

CHRISTE, preces careant iusto ne pondere nostræ:  
Has condire tuis precibus dignare frequenter.

II.

Ad Patrem fundis nostro qui nomine vota:  
Hunc etiam pro me, pie Christe, precare, sacerdos.

III.

Cum Genitor tibi, Christe, tuus nil deneget vnquam,  
Hunc pro me precibus sollicitato tuis.

E 2

CHRI



## IIII.

CHRISTE, tuis precibus mihi conciliato Parentem,  
Vt velit is propter te bonus esse mihi.

## V.

Gratus vt effectus mea vota sequatur, 7 ESV:  
Ab precibus iungas his tua vota meis.

## VI.

CHRISTE, tuis acuas precibus mea vota subinde:  
Fac iustum hac habeant pondus vt ante Patrem.

## VII.

Omnia, CHRISTE, tuis precibus mea vota secundes:  
Non feriant auras, spe sine, fortè leues.

## VIII.

Pondus vt obtineat gemitus, Christe optime, noster,  
Pro nobis adhibe vota precesq<sub>3</sub> Patri.

## IX.

In tua vota meas, ceu fundamenta, repono  
Christe, preces: fac has, frater amande, ratas.

## X.

Pondus vt hac habeant coram mea vota, Parente,  
Hac acuas precibus, CHRISTE benigne, tuis.

## XI.

Vota precesq<sub>3</sub> adhibe pro me, pie Christe, Parenti:  
Aequior is precibus sic erit vsq<sub>3</sub> meis.

## XII.

Suscipiat nostri Pater vt suspiria cordis,  
Hunc precibus placa, CHRISTE benigne, tuis.

## TETRASTICHON.

Exaudi gemitus, exaudi vota tuorum:  
Et penitus causa ne fortè cadamus, 7 ESV.



*Fac tua supplicibus nos intercessio votis  
Adiuuet ante Patrem, per teq<sub>3</sub> petita feramus.*

**TETRASTICHON IN  
SCRIPTVM FORIBVS SA-  
crarij in templo, itemq<sub>3</sub> interiori ia-  
nuæ in curia GOLDBER-  
BERGENSI.**

Priores duos versus desumfi ex Patre poëta-  
rum huius ætatis D. Iohan. Maiore.

*Quòd Deus hasce breui, graui ter quoq<sub>3</sub> punit oras,  
Verba docent, & signa monent, & pœna probabit:  
Nî subito in melius vitam conuertimus, actum est.  
Pro se quisq<sub>3</sub> igitur mores emendet, & oret.*

**LILIVS GREGOR.  
GYRALDVVS.**

*Dum nos secla, dies, menses, metimur & annos:  
Obrepi tacito mors inopina gradu:  
Quæ feret æthereamue diem, noctemue profundam:  
Acta tibi qualis, talis agenda, dies.*

**Ex Germanico rythmo.**

*Wenn nur man thete was man solt/  
So thete Gott auch was man wolt:  
Weil abr dasselbe nicht geschicht/  
So gehes nach vnserm willen nicht.*

*Si faceret quiuis, quod functio iusta requirit,  
Dirigeret nostras cura secunda rates:*

E 3

Id cum



*Id cum non fiat, sed passim crimina regnent,  
Ad nustum nostrum non quoq; nostra fluunt.*

## EX ALIO.

*Was mir Gottes handt wil gebn/  
Das wil ich wol erhebn.  
Was mir sein gnad versagt/  
Bleibt von mir vnerjagt.*

*Qua diuina mihi largitur gratia uiuo,  
His potiar, mihi praeipiet nec talia quisquam:  
Denegat at quodcunq; mihi pia dextra Tonantis,  
His careo placide, fremitum compscere conor.*

## EX ALIO.

*Tück dich vnd laß fürüber gan/  
Das Wetter wil sein willen han.*

I.

*Te submitte parum, tempestas orta recedet:  
Ille sapit, nouit qui cedere saepe procellis.*

II.

*Cedere posse malis, virtus est, saepe subortis:  
Murmure tempestas minimè sedatur ab vllò.*

III.

*Cede parum nubi, rabidus dum transeat imber,  
Qui scit prudenter cedere, victor erit.*

**ADHORTATIVNCVLA AD  
studium frequentandi congressus Ec-  
clesiæ publicos.**

*Tesi-*



Te sine diuini ratio est non integra cultus,  
 Pectore propterea prompto pia templa frequentes,  
 In quibus ut CHRISTI sincerè verba docemur:  
 Sic DEVS & colitur precibus, celebratur & hymnis.

F I N I S.

Decerpsi has precatiunculas ex meis  
 ἑαψωδίας, sub initium Februarij,  
 Anno 1577.



G O R L I C I I


*Ambrosius Fritsch excudebat.*

A N N O

---

M. D. LXXVII.





m  
A  
n  
g  
c  
f





Ep[isto]la q[ua]dam  
S[er]u[us] Examino p[ro]f[er]o d[omi]no, ornatissi-  
me, et Doctissime D[omi]no Paule Lentz[er]i comes  
Auditione quondam f[ra]tra meo[rum] amicus-  
me, quod H[er]t[ur]ia in P[ro]vincia patria  
n[ost]ra mansione Schole[ar]um S[er]em[en]tiana  
gub[er]nare, vel e[ss]e un[us] solus tam ser-  
u[us] certior efficior. Nam si antea de hoc  
constitisset, p[er] Ven[er]endum meum, q[uo]d  
te semp[er] complect[er] sum[us] amorem, i[n]u[er]-  
sissimamq[ue] ac p[ro]p[ri]etatem consuetudi-  
nem n[ost]ram tam diuturno silentio  
neq[ue]q[ue] fuisse usus, sed frequenter  
meis, uti et D. M. Mylin[us] soleo literis  
te certo evam compellat[ur]. Ven[er]em[us]:  
enim[us]. posteaq[ue] ubi, res tuas D[omi]no  
ita gub[er]nante, locorum agens  
edoct[us] simul et occasione, non tu  
idoneam atq[ue] necessariam ad te feri-  
bendi nact[us] sum[us] eam minime ne-  
gligere volui, uti nec debui.

De



Necessitati q̄ me ad hanc tibi exarandis  
compulsi de statu rerum mearum pauca  
scribo. Servum fectae Christi, quod te  
antea puto scire ad Hungarica Brada  
annum, Deij gratia, ago jam duo decim  
successibus, illi soli sit benedictio honor  
et gloria, mediocribus. Praeterea coniuge  
primam familiam honestissimam, pietate  
p̄ritate, virtute, forma nec non me  
dioni dote nomine Apolina, favente  
omni divina Clementia donato. fuj. q̄ta in  
vnum integre annum non transegi  
prole q̄taq̄ Ideo nullam ex ea suscipi  
dixi tandem alteram Ministri eiusdem  
viri optimi Filiam Catharina, haec coe  
lesti patre coniugio nro benedicente  
iam duos filios et tres filias feliciter mi  
hi peperit. Hucusq̄ laeta, audi porro q̄  
valetudine meam concernit non tm.



commiserare, sed lamentare quod de qua,  
Fructuam, diuino procul dubio p[ro]m[iss]u  
a 1596 ipsa die q[uod] vocat[ur] Dominica  
Cantate in morbu[m] gravissimu[m], q[uod] voca-  
tum tota ea estate collectatq[ue], tandem  
perpetuis Otica passionib[us] excruciat[us]  
q[ui]bus p[ro]p[ter] tentat[us] s[ed] multisq[ue] in Medi-  
cos et Medicinas factis sumptib[us], sed fru-  
stru[m], ita claudu[m] factu[m] sum, ut nullu[m]  
pene pedes vel manu[m] offm[er]u[m] debitu[m] in  
hac vita necessarium amplius mihi p[ro]sta-  
re possint. Sed calamitatem istam non  
biennio jam durante plurib[us] v[er]bis  
p[ro]f[er]q[ue] nimis esset longum, p[ro]f[er]u[m]q[ue]  
sic, quem ad te mitto meus verboru[m]  
te edocebit. Ad rem potius pauco.  
Habeo Optima spei, Doctissime D[omi]ne L[ati]n[us]  
Iuvenem ex Germana mea sorore nez-  
potem Eliam (Wahingium Maffehotiz-  
num, cuius ego studia postea p[ro]lam



altero parente, nimirum patre multis ab  
hinc annis orbaty est, et Vidua Mater  
paupertate impedita <sup>offm</sup> debitum <sup>offm</sup>  
neq[ue] tum comendabili Juvenis pietate  
et p[ro]bitate, tum singulari et haud contem-  
nenda, quod in ipso animad[ver]si ingenio tum  
ipso et consanguinitatis jure ad h[oc]  
h[oc], iam olim p[ro] facultate meam  
feruitate ultra p[ro]mouenda suscep[er]it.  
Is in scholis hucusq[ue] Schlaromius aeta h[ic]  
sua accomodis versaty, post pietate  
non p[ro]mitendos in literis quoq[ue] divina  
ad p[ro]p[ri]e ope, progressy fecit. In primis  
Grammatica ita addidit ut tolerab[er]e  
Latine et scribat et loq[ua]t[ur]. Petrus Ra-  
meon item Dialecticam et Rhetoricam  
artis p[ro]ceptum initia p[ro]p[ri]is labris  
dedit. In Musicis ita p[ro]fecit, ut q[ua]nta



Et sibi antea usam Notitiam se posuit  
canere, et voce atatione sua convenienter,  
tem, ut vocant **Alta** defendere possit  
Existimo ipsum et ad conficiendos **Effulus**  
si modo fides succederet **Mgr** non omnino  
ineptum fore, quod propterea addidit gratam  
litteras pingendi elegantiam, His per  
lianibus Divinae gratiae in **Juvene** **ff** **hae**  
argumentis diligenter et attentius consideratis  
cogitare coepi, ut ipsum quod olim **Deo** res  
suas ita gubernante vel facta vel  
**Reip.** utilior esset, in certum aliquem locum,  
Germanicae linguae, cuius maxime peni ubi  
usus est cognoscenda et addiscenda gra-  
tia amandarem, Amantem **Veram**  
ipsum ad **Clarissimum** Virum meum, **ana-**  
**tissimum** **D. M. Joh. Myhim** **Tyro** **scholm**  
venum illic ad illa avara importunitate  
te prohibere (in gratem non et desperans  
tunc incederat moribus) diu, ut  
volebam, manere non potuit.



Ouia ergo Tyropoli auro illi parere noluit,  
it, de alio loco illi prospicere libuit.  
Propinquum ergo istum meum ad te, Ophi-  
one Paule, fr̄ charissime, magna cum  
fiducia mitto; et abs te veterissime ve-  
rissimiq; amicitie meae iure, oro p̄se-  
ro, ut etiam meum in numerum dis-  
centium laud gratulam recipere, recep-  
tum mense Eleusino et ceteris  
3, q̄b; pauperes studentes in Schola tua  
sustentant; beneficium participem  
facere non dedignaris. Plura ad hoc  
abs te. Quae sententia non sit fortassis  
uti oportebat reverenter, imperor-  
tūm flagito: pauperem, ut quod  
fieri possit, hic meos filios non solum  
uti ceteros, discipulos, sed tuos proprie  
domesticos esse, cui cum familia tua



per facultatem lingue ad discenda tempo-  
ris (exceptis solis operationibus et summe-  
tis ex elemosina cibis) legendis defen-  
sionibus, intelligendis, ediscendis germa-  
nicis materiis, et ad usum cum in scri-  
bi exercitio, tum quod ad hanc ac fami-  
liam collegio transferendis, inde fessis stu-  
dio transmitteret. Hoc ubi apud te  
Cuij pro eo quo erga me olim affectu  
fuisse amore nihil addubito precibus  
meis impetrabo, maximo quod quis  
unquam in me conferre possit beneficio  
affectum me ex his matero; nihil quod  
tam grate factum dividendum et distri-  
bibile. Ita suppeditante mihi fuerit  
ut, quod omississimam causam tuam  
re postulante sepe ac libenter com-  
susceptum. Quod reliquum est ut  
molestus tandem tibi esse desine



nam, cum tuis Divino comenda-  
to patrocinio bene valebis. Dated  
tuis Wl'novio, 2 Ap: aō 1598

H. J. Veredmanus

et studiosus Dni. W. W.  
Post scripta. Adunguntur huc ex forma  
mea nato duo Adulescentuli, quorum  
alter est germanus conjugis meae fr  
alter v. bone memorie D. Pauli, H. m.  
beij nostri quondam Condiscipuli et  
tibi optime notij proprii filij nati  
cephis Musices medianter et fatij  
H. J. per parentes ipsorum quam fieri  
pot diligentissime rogatij pari fide,  
de studiis comendo.



ni  
li;

Wan  
Kij  
K  
m  
m  
ch  
p  
f  
has  
en  
de,




















Contra dolorem gentium

Indie Garasceus ante ortum solis in  
opis manuum & pedum amputa  
& Sorex masculinus sub pennis Foemi  
ning sub Pyrum abluere, sic qd  
lore gentium non vexaberis.



m,  
n,  
u,

f

**ULB Halle** 3  
004 957 741



Z





Nonnam zelus domus tue

in partibus a bi coram

nam meam dilectam tradi

facta est michi hereditas in

ua. Dedit contra me uerum

gammu et prosperate. ad



B  
P  
T  
E

M  
me  
B

